



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.41. S. Stephanus coram Imperatore Fidem confitetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

## §. XLI.

Sæcul. VIII.  
A. C. 764.*Stephanus coram Imperatore Fidem  
confitetur.*

Ergo Imperator S. Stephanum Constantinopolim reuectum in carcerem prope Thermas vinculis ferreis manus pedesque constrictum conjicit. Paucis diebus elapsis quæstionem de eo habuit privatim ad Heliacum, qui Pharus dicitur, duobus tantum primi ordinis viris comitantibus. Cum Vir Sanctus ad eum duceretur, a quodam Viro pio nummum petiit, quem Cucullo suo furtim imposuit. Tyrannus vero ubi eum ingredientem vidit exclamare cœpit: *O calamitatem! videte a quonam bomine ego Imperator calumniam patiar!* Vir Sanctus oculis in terram dejectis nihil respondebat. At Imperator furiose eum intuitus dixit: *Non mihi respondes? scelestum caput!* S. Stephanus respondit: *Auguste! si me condemnare in animo babes, supplicio quam celerrime affice. Si autem idcirco me adesse iussisti, ut interrogares, iracundiam lenitate tempera. Istud enim omnes leges præcipiunt. Tum Imperator: dic age, quibus Patrum Decretis non paruumus? quos Canones contempsimus, ut apud te in Hæreticorum numero censeamur?* S. Stephanus respondit: *Ideo, quia venerandas Imagines, quas a Patri-*  
bus

p. 496.



Sæcul. VIII. *bus omnium Sæculorum accepimus scelera-*  
 A. C. 764. *te ab Ecclesijs eiecistis. Imperator repo-*  
 p. 497. *suit: Impie! ne bas imagines dicas, non*  
*enim sunt, sed Idola, quidnam porro Ido-*  
*lis cum rebus Sanctis commune est! quid*  
*luci cum tenebris?*

S. Stephanus respondit: *Domine!*  
*nunquam præceperunt Christiani, in ima-*  
*ginibus materiam adorari; sed nomen illius*  
 p. 498. *rei, quam videmus, adoramus, & cogita-*  
*tione ad Exemplar ascendimus. Ita in-*  
*tellektus noster sursum elevatur usque ad*  
*Cælum, & imaginatio humana figitur.*  
 Tum Imperator: *Æquumne est ea, qua*  
*mens nostra nullo modo comprehendere pot-*  
*est, per colores in sensum cadentes expri-*

S. Stepha- *mere? S. Stephanus: Ecquis enim mor-*  
 nus. *talium, qui quidem mentis compos sit, dum*  
*ea, quæ in Ecclesia conspiciuntur, ado-*  
*rat, Creaturam, nempe lapidem, aurum vel*  
*argentum, sub eo prætextu, quod rei San-*  
*ctæ nomen gerat, adorare intendit? Vos*  
*vero inter Sanctum & profanum minime*  
*distinguentes, Christi Imaginem non se-*  
*cus, ac Apollinis Statuam, Deiparæque*  
*item non secus, ac Dianæ Idolum appella-*  
*re minime horruistis, quin ipsam quoque*  
*pedibus protrivistis, & exussistis. Impe-*  
*rator dixit: O cæca mente perditæ! his*  
*imaginibus proculcatis Christumne pro-*  
*culcavimus? absit!*



Tunc vero S. Stephanus nummum, quem in hunc finem attulerat, & sinu proferens dixit ad Imperatorem: *Domine! cujus est Imago hæc & Superscriptio?* Eo autem mirante & respondente: *Cujus tandem alterius, nisi Imperatorum?* (erat nempe imago ipsius Constantini & Leonis filii ejus) & rursus S. Stephanus: *quid vero si eam contumeliose in terram projecero, & pedibus protrivero, an idcirco pœnas aliquas luam? Quidni autem, dixerunt ii, qui adstabant, cum imaginem & nomen Imperatorum semper invictorum proculcares?* Hic Vir Sanctus ab imo pectore gemitum emittens, *quas tandem pœnas eum subiturum putatis, qui Jesu Christi & Matris ejus Nomen in suis Imaginibus proculcarit? an non igni æterno tradendus est?* Vix hæc dixerat, cum nummum projectum calcavit. Cum autem ii, qui adstabant, ferarum ritu accurrissent, ut Sanctum Virum præcipientem in mare dejicerent, prohibuit Imperator, sed collo vinculis adstricto, & manibus a tergo revinctis, ad publicum Prætorii carcerem amandavit, ut videlicet ob protritam Imperatoris Imaginem pœnas a lege constitutas subire cogeretur.

## §. XLII.

*Persecutio necdum cessat.*

Præterea Imperator multos etiam principes

*Hist. Eccles. Tom. X.*

X

cipes

Sæcul. VIII.

A. C. 764.

p. 495.